

talem actum causando, quam voluntas dicatur coagere Deo. »

Scotus in 2. sent. dist. 37. quæst. 1. §. ad solutionem istorum etc. disserens de cooperatione primæ causæ cum secunda libera, docet, nullo modo prius agere Deum, quam voluntatem, ac per hoc non prædeterminari voluntatem a Deo: « Sicut, inquit, in uno instanti naturæ materia materiatur et efficiens efficit: ita duæ causæ efficientes ordinatæ in instanti naturæ causant effectum communem, ita quod neutra tunc causat sine altera: sed quod effectus non rectus causetur, hoc non est tunc propter causam priorem, quæ quantum est ex se, recte causaret, si secunda causaret, sed propter defectum causæ secundæ, quæ in potestate sua habet concausare primæ causæ, vel non concausare, et si non concausat illi, ut tenetur, non est rectitudo in effectu communi amborum. »

S. Thomas in 1. 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. sic loquitur: « Ad tertium dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo determinat se per rationem ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. » Ubi illa particula adversativa, *sed*, ostendit, determinationem particularem referendam esse in ipsam voluntatem, non in Deum prius determinantem, determinationem autem universalem in bonum in communi, referendam esse in Deum, qui est causa universalis.

Idem in 1. 2. quæst. 10. art. 4. « Quia, inquit, voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unam determinat sed manet motus ejus contingens, nisi in his ad quæ naturaliter movetur. »

Idem in 1. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3. « Dicendum, inquit, quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis. » Item in 2. 2. quæst. 174. art. 1. docet juxta Damascenum, Deum prædestinare ea, quæ non sunt in nostra potestate, præscire autem, sed non prædestinare, ea quæ sunt facienda per liberum nostrum arbitrium. Denique in quæst. 3. de potentia art. 7. ad 13.

sic ait: « Voluntas dicitur habere dominium actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis. »

Cajetanus in comment. 1. par. quæst. 49. art. 8. inquit: « Cooperatio Dei in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque, sic enim disponit omnia suaviter. Unde sive necessario, sive libere cooperetur Deus, nihilominus creata voluntas libere utitur illa cooperatione. »

Quinto repugnat rationi. Nam in primis posita determinatione voluntatis a Deo facta, non videtur posse salvari libertas arbitrii. Illa enim dicitur libera potentia, quæ potest agere, et non agere; at voluntas humana non potest agere, antequam a Deo determinetur ex doctrina adversariorum; postquam autem a Deo determinata est, non potest non agere, quia intelligi non potest, ut Deus eam moveat, et ipsa non moveatur, sive ut Deus eam determinet, et ipsa non determinetur; igitur numquam dabitur tempus, quo ipse vere possit agere et non agere.

Deinde, si Deus esset agens necessarium et determinaret humanam voluntatem, illa non libere, sed ex necessitate ageret, ut adversarii admittunt. At perinde est voluntati, utrum Deus eam necessario, vel libere moveat; nam actus voluntatis non ideo libere procedet a voluntate, quia libere procedit a Deo: quemadmodum si Deus libere moveat pecudem ad herbam depascendam, non propterea pecus libere herbas depascet. Neque ideo servus ex electione vertit molam pistrini, quia Dominus ex electione cogit illum ad molam pistrini vertendam. Itaque sive Deus libere, sive ex necessitate determinet voluntatem, voluntas a Deo determinata non libere, sed necessario agit. Nam Deus quidem libere determinat, quia est in potestate ejus non determinare: at voluntas a Deo præventa, et determinata non habuit in potestate id efficere, ne præveniretur et determinaretur. Proinde actus ejus liber quidem est, ut exit a Deo, non tamen est liber, ut exit ab ipsa, et ideo ipsa non est causa libera, sed necessaria.

Adhæc si ponatur ista determinatio, non poterit intelligi, quomodo Deus non sit causa peccati, et quomodo homines qui peccant, non sint digni excusatione. Nam si Deus in

omni actu positivo voluntatem determinat, et movet ad agendum; certe etiam determinabit et movebit ad volendum furari, fornicari, mentiri, blasphemare etc. quis autem capiat hominem dignum esse pœna, si id velit quod Deus determinando et movendo facit eum velle? Sed de hac re multa diximus in II. lib. de statu peccati.

## CAPUT XV.

*Explicatur una ratio concordie divinæ cooperationis cum libero arbitrio,*

Illam igitur sententiam refutata, duæ nobis rationes occurrunt satis accommodatæ, ad explicandam concordiam divinæ cooperationis cum libero arbitrio, et objectionem superiore capite propositam diluendam.

Una ratio est juxta sententiam Gregorii Ariminensis, Scoti, Gabrielis, et aliorum, in 2. sent. dist. 37. qui docent, cooperationem divinam se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, hoc est, concursus Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere, aut operari, sed immediate influere in effectum, eumque producere illo ipso momento, quo a voluntate nostra producitur.

Hinc enim sequitur, ut neque Deus determinet, sive necessitet voluntatem, neque voluntas Deum. Nam et uterque concursus suum libere adhibet, et si alter nolit concurrere, opus non fiet. Simile est cum duo ferunt ingentem lapidem, quem unus ferre non posset: neuter enim alteri vires addit, aut eum impellit, et utriusque liberum est onus relinquere. Quamquam Deus nisi extraordinarie miraculum operari velit, semper concurrat, quando voluntas nostra concurrat, quoniam ad hoc se libere quodammodo obligavit, quando liberam voluntatem creavit. Ex quo etiam sequitur, ut licet in eodem prorsus momento temporis et naturæ, Deus et voluntas operari incipiant, tamen Deus operetur, quia voluntas operatur, non contra. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quam Deum, non prioritate instantis in quo, sed a quo. Sed operæ pretium erit solvere argumenta, quæ adversus hanc sententiam fieri solent.

Primum argumentum, Inter primam causam, et secundam est ordo quidam essentia-

lis, ut prima secundam moveat, et secunda non agat nisi mota a prima; est autem Deus prima causa; voluntas nostra, secunda; igitur Deus voluntatem movet, et applicat ad opus.

Respondeo: inter causam principalem, et instrumentariam est ille ordo, ut una alteram moveat. Inter primam autem causam et secundam, cum secunda non est proprie instrumentum, non est ordo, ut una alteram moveat, sed ut una sit prior altera perfectione, illimitatione et necessitate; quia videlicet sit causa perfectior et nobilior, et rursus universalior, cum non limitetur ad unum vel alterum effectum, et denique summe necessaria, cum sine ea nullus effectus fieri possit.

At, inquit, Scriptura indicat, homines esse instrumenta Dei, nam Isaia x. dicitur; *Assur virga furoris Dei*. Et ibidem appellatur securis et serra. Sed facile est respondere, nam dicuntur homines instrumenta Dei, non proprie, sed metaphorice, quia potest Deus, quando vult, ita flectere eorum animos, quomodo artifex flectit instrumenta sua. Nam aliqui homo est etiam causa principalis, cum sit liber et dominetur animantibus cæteris. Quomodo autem Deus flectat animos hominum, et tamen non tollat arbitrii libertatem, explicatum est supra.

Secundum argumentum. Si Deus operatur, quia voluntas operatur, et non contra; certe sequitur, ut Deus pendeat a voluntate, et aliquo modo ab illa determinetur: absurdum est autem, ut Deus pendeat a creatura, et a temporali determinetur æternum.

Respondeo: Deus non pendet, nec determinatur a voluntate humana, licet operetur, quia illa operatur: nam libere Deus condidit liberam voluntatem, et potuisset non concedere: et rursus libere voluit, et ab æterno decessit, concurrere ad opus liberæ voluntatis, quando ipsa operari voluerit: et denique potest etiam, quando vult, non concurrere, si velit præter ordinem a se constitutum aliquid fieri. Itaque Deum operari, quia voluntas operatur, non est Deum pendere a creatura, sed ab æterna sua institutione et voluntate.

Tertium argumentum, Deus est causa omnium rerum, quæ quoquo modo habent esse; at quod voluntas nostra se determinet et applicet ad operandum, sine dubio est aliquid, igitur hoc ipsum facit Deus. Deus igitur facit, ut voluntas se determinet et applicet, ac per hoc ipsam movet, determinat et applicat.

Respondeo: in eo quod est, voluntatem se determinare ad opus, sive (quod idem est) re ipsa operari, cum antea non operaretur; Tria considerari possunt, voluntas, actio ejus, et egressus actionis a voluntate, sive relatio, et habitudo actionis tamquam effectus ad voluntatem, ut ad causam. Ex his tribus, voluntas sine dubio a solo Deo facta est; actio quoque fit a Deo, quamvis non solo; denique relatio proprie non fit, sed consequitur: tamen ut est idem re cum actione, ab eo fit, a quo actio ipsa fit.

Itaque nihil est, quod non fiat a Deo, et tamen non dicitur Deus determinare, vel applicare voluntatem ad opus, quia relatio illa non refertur ad Deum, sed ad solam voluntatem. Referretur autem etiam ad Deum, si ipse uteretur voluntate tamquam instrumento ad illam ipsam actionem faciendam.

Quartum argumentum. Actus voluntatis est actio vitalis et immanens, igitur non potest immediate fieri, nisi si a principio intrinseco et vitali. Proinde Deus non concurrat de illam actionem immediate producendam, sed mediante voluntate nostra.

Respondeo: concursus Dei est generalis et indifferens quidam influxus, qui a causis secundis modificatur et determinatur, saltem quoad specificationem, ut diximus in lib. de causa peccati. Et colligitur etiam ex S. Thoma in lib. III. contra Gentes cap. 66. ubi dicit causas secundas esse particulantes (sic enim loquitur) et determinantes actionem primi agentis. Porro actio immanens, et vitalis non potest produci, nisi ab intrinseco principio, vel ab extrinseco modificato et determinato ab ipso intrinseco.

Quintum argumentum, providentia Dei extenditur ad omnia, etiam singularia, et contingentia et libera: igitur Deus ab aeterno determinavit omnes effectus, ac per hoc etiam determinavit causas secundas ad eos producendos. Nam alioqui si effectus liberi, et contingentis non essent praedeterminati a Deo, sed tales essent, quia tales sunt causae secundae; praeter intentionem Dei fierent, quod absurdum esse demonstrat S. Thomas in 1. part. quaest. 19. artic. 8. ubi concludit, Deum praeparasse causas alias necessarias, alias contingentis, vel liberas, quia tales esse voluit effectus; non contra, ideo voluisse effectus esse alios necessarios, alios contingentis, vel liberos, quia tales sunt causae.

Respondeo: Deus ab aeterno determinavit omnes effectus, sed non ante praevisionem

determinationis causarum secundarum, praesertim contingentium, et liberarum: et rursus determinavit omnes effectus, sed non eodem modo; alios enim determinavit futuros se operante, vel cooperante, alios se permitte, vel non impediende: neque ratio providentiae postulat, ut Deus ante omnem praevisionem omnia praedeterminaverit, sed solum ut nihil fiat sine ejus praevisione et cooperatione, vel permissione. Alioqui enim etiam peccata praedeterminasset ante praevisionem malae voluntatis, et ideo malam voluntatem esse voluisset, ut inde peccata jam ante praedeterminata prodirent, quae est haeresis absurdissima, et aperta blasphemia. Neque Dominus in Evangelio diceret, unum ex passeribus non cadere in terram sine Patre nostro: sed diceret, unum ex passeribus non cadere in terram, quem Pater noster in terram non dejecit.

Quod autem S. Thomas dicit, Deum instituisse quasdam causas contingentes, vel liberas, quia tales esse voluit effectus; videtur intelligendum de effectibus in universum, non in particulari, id est, quia voluit Deus in hoc mundo non omnia fieri necessario, sed aliqua contingenter, vel libere, ideo causas instituit tum necessarias, tum contingentis et liberas: tamen in particulari non ideo instituit istam causam liberam, quia voluit hunc effectum liberum, sed contra voluit hunc effectum esse liberum, quia causam habet liberam. Nam hoc modo neque res contingentes eveniunt praeter intentionem Dei, neque prima radix contingentiae sunt causae secundae et tamen providentia non impedit liberum arbitrium.

Quod autem S. Thomas locutus sit in genere, et non in particulari, cognosci potest ex 1. part. quaest. 23. art. 7. ubi dicit, Deum determinasse numerum partium essentialium mundi, ut colorum, elementorum, et omnium specierum; tamen non determinasse numerum individuorum corruptibilium, ut culicum, muscarum, etc. neque ut haec musca hodie nascatur, cras illa; sed tantum in genere providisse, et providere, ut non deficiat species ulla animalium. Quod si providentia divina non praedeterminavit in particulari individua substantialia, licet ea praeviderit futura, et voluerit cooperari causis secundis in eorum productione, multo minus determinavit in particulari omnes actiones transientes liberas, licet eas praeviderit et decreverit cooperari, vel impedire, vel permittere,

si malae sint, et bonum aliquid ex eis elicere.

Sextum argumentum. Si Deus non omnia praedeterminaret ante praevisionem determinationis secundarum causarum, non posset omnia certo praescire. Nam actiones liberas futuras non videt Deus in ipsis actionibus, quia non sunt; nec videt in causa secunda, id est, voluntate humana, quia illa indeterminata est, et omnibus positis, quae requiruntur ad agendum, potest non agere; nec videt in causa prima exemplari, id est, in idea, quia illa representat omnia possibilis, sive futura sint, sive non sint: nec videt in aeternitate sua, quae ambit omnia tempora. Nam etiamsi aeternitas coexistat omni tempore, tamen tempus futurum non coexistit aeternitati, nisi quando re ipsa existit, id est, cum praesens est: proinde futurum, dum est futurum, non est, neque in se cognosci potest. Adde quod Deus cognoscit etiam quaedam, quae numquam erunt, ut cum I Reg. 23. petenti David, num tradent me viri Ceilam, respondit, tradent; et cum Matth. II. praedixit Dominus Tyrios et Sidonios poenitentiam acturos fuisse, si miracula vidissent, quae Capharnatae viderunt. Haec et similia conditionalia Deus certo praescit, et tamen in se ipsis numquam exstant, neque aeternitati unquam coexistent. Igitur aut videt in sua voluntate, tamquam in prima causa efficiente, et efficacissima, aut nullo modo videt.

Respondeo: res est omnino difficilis, et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura praesciat. Et hoc videtur indicasse David in Psal. CXXXVIII. cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* (1). Illud enim (*ex me*) hebraica phrasi significat (*pra me*) sive (*super me*) ut sensus sit, mirabilior est modus scientiae tuae, quam ut ego eum comprehendere possim. Quomodo videlicet, intellexeris cogitationes meas de longe, et omnes semitas meas investigaveris etc.

Probabile tamen nobis videtur, Deum futuras actiones liberas non videre nisi in humana voluntate. Id enim significat in primis Scriptura, cum dicit, Deum scrutari renes et corda, et in hoc Psalm. 138. Deum investigare omnes semitas nostras. Nam si videret eas in sua voluntate praedeterminante omnia; non diceretur scrutari corda nostra et

(1) Psal. CXXXVIII, 6.

investigare semitas, sed intueri voluntatem suam. Deinde non esset mirabile, Deum omnia praescire, si omnia praedeterminaret. Nam et nos facile praescimus et praedicimus, quae facturi sumus: at S. David in toto illo Psal. CXXXVIII. miratur scientiam Dei, quae praevidet omnes vias nostras, et intelligit cogitationes nostras de longe etc.

Adhaec S. Augustinus lib. XI. Confess. cap. 18. satis aperte hoc docet, cum ait: « Quoquo modo se habeant arcana praescientiae futurorum; videri nisi quod est, non potest; quod autem jam est, non futurum, sed praesens est. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipsa, quae nondum sunt, id est, quae futura sunt, sed eorum causae, vel signa forsitan videntur, quae jam sunt. Ideo non futura, sed praesentia sunt jam videntibus ex quibus futura praedicantur animo concepta. » Haec ille.

Deus igitur quia perfecte cognoscit omnes propensiones, et totum ingenium animi nostri, et rursus non ignorat omnia, quae illi possunt occurrere in singulis deliberationibus, et denique perspectum habet, quid magis congruum et aptum sit, ut moveat talem animum tali propensione et ingenio praeditum, infallibiliter colligit, quam in partem sit animus inclinaturus. Et hoc fortasse sibi volunt, qui docent, Deum cognoscere futura omnia tam libera, quam necessaria, et tam absoluta, quam conditionalia, quia cognoscit omnem veritatem; et quia omnia, quae quoquo modo futura sunt aliquo modo vera sunt; verum enim est dicere, hoc erit, quando re vera est futurum.

Haec, inquam, sententia videtur coincidere cum nostra. Nam verum, et ens convertuntur, et ideo non est verum modo aliquid esse futurum, nisi illud, modo, habeat aliquod esse nimirum in causa; non autem habet esse in causa id, quod est libere, et contingenter futurum, nisi quando in causa est aliqua determinatio. Et quoniam in ipsa contingente causa praecise considerata, nulla est determinatio, ideo vere dixit Philosophus, de futuris contingentibus, non esse determinatam veritatem; respexit enim ad ipsam solam causam contingentem. Tamen si quis conjungit cum causa contingente, vel libera omnia quae possunt occurrere et impedire, et videat propensiones et aptitudines tum ipsius causae, tum omnium objectorum et circumstan-

tiarum, quod solus Deus facere potest, existet inde aliqua determinatio, et ratione illius verum erit dicere: hoc erit tali tempore.

## CAPUT XVI.

*Explicatur altera ratio concordiae libertatis cum cooperatione Dei, et solvitur obiectio cap. 14. proposita.*

Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione divina, et fortasse etiam probabilior est juxta sententiam S. Thomae, qui docet, cooperationem divinam ita concurrere cum secundis causis etiam liberis, ut non solum eis dederit, et conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, et applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. part. quaest. 105. artic. 5. et lib. 3. contra gentes, cap. 70. et in quaest. 3. de potentia art. 7. quae sententia videtur valde consentanea, tum Scripturae, quae dicit nos in Deo esse, vivere, et moveri, Actor. 17. tum etiam rationi et ordini, quem habet prima causa cum secundis, neque laborandum est in hac sententia, ut ostendamus, nihil omnino fieri sine Deo. Sed tamen habet etiam haec sententia suas difficultates, quas breviter explicabimus antequam exponamus, quemadmodum juxta hanc sententiam salvetur liberum arbitrium.

Obijciunt igitur aliqui contra sententiam S. Thomae, non posse intelligi quomodo Deus moveat, et applicet causas secundas. Nam si Deus movet causas secundas, vel movet locali motu, vel alterativo; non locali, quia causae secundae, ut plurimum immotae, secundum locum agere possunt; ignis enim non eget motu locali, ut comburat stupam vicinam; et multo minus humana voluntas eget motu locali, ut aliquid velit. Non etiam alterativo, quia tunc aliqua qualitas imprimi deberet in causa secunda. Nulla autem talis qualitas necessaria est, neque ex parte Dei, qui operatur omnia per actum suae voluntatis; neque ex parte causae secundae, quae jam habet virtutem operatricem a natura.

Dices, necessariam esse ex parte Dei, et ex parte causae secundae; ex parte Dei, ut per eam qualitatem attingat effectum, ex parte causae secundae, ut determinetur, et applicetur ad operandum. Contra, nam Deus non

eget qualitate, ut attingat effectum; et praeterea si egeret qualitate, ut effectum attingeret non in causa, sed in effectu, illam imprimeret: porro causa secunda praesente objecto, non videtur indigere alia determinatione vel applicatione.

Ad hanc objectionem respondeo, Deum non movere localiter causam secundam, neque in illa qualitatem ullam imprimere, sed tantum illa uti tanquam instrumento ad opus efficiendum, quocirca virtus a Deo impressa per modum transeuntis, dum causa secunda operatur, non distinguitur ab ipsa virtute naturali, sed est illa eadem, quatenus illa Deus utitur ad illam actionem perficiendam. Est autem necessaria haec motio Dei ex parte causae secundae, quae cum sit talis, id est, secunda, habet necessariam dependentiam a causa prima, in cujus virtute operatur. Vide quae diximus de virtute Dei in Sacramentis impressa per motum lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 11.

His explicatis, ut ostendamus, juxta hanc S. Thomae sententiam, recte defendi liberum arbitrium, sciendum est, influxum, seu virtutem Dei, qua voluntas movetur et applicatur ad opus, recipi in causis secundis, secundum earum dispositionem (ut idem S. Thomas in quaest. 3. de malo art. 2.) « Attendendum, inquit, quod motus primi momenti, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum. » Et in 1. 2. quaest. 10. art. 4. « Ad providentiam, inquit, Dei pertinet, naturam non corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem. » Et infra: « Quia, inquit, voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur. » Haec ille.

Porro iste modus, seu conditio in voluntate, secundum quam recipitur in ea motus Dei, nihil aliud est, nisi negativa quaedam determinatio, praecedens tum influxum Dei, tum actum elicatum voluntatis. Nimirum quod voluntas sinat se moveri ab objecto per rationem sibi proposito, vel non sinat. Haec enim determinatio dicitur negativa, quia non consistit in actu positivo, sed in negatione actus, cum tamen voluntas non minus sit libera ut agat, quam ut non agat.

Explicat id S. Thomas in quaest. 1. de malo artic. 3. ubi dicit: non uti regula rationis praetelligi in voluntate ante inordinatam electionem: hujus autem quod est, non uti regula rationis, non oportere quaerere aliam causam, nisi voluntatis libertatem, quia videlicet in ejus potestate est, ut sinat se moveri a ratione, vel non sinat. Et rursus in quaest. 3. de malo art. 2. idem S. Thomas dicit, requiri in homine dispositionem quamdam ad recipiendum influxum Dei, et juxta eam dispositionem produci bonum, vel malum actum. Non potest autem praerquiri ante influxum Dei ulla dispositio positiva, cum nihil positivum sine Deo fieri possit. Sola igitur praerquiritur dispositio negativa.

Atque hinc fit, ut voluntas sit vere libera, et se ipsa determinet, tametsi Deus illam moveat, et applicet ad opus, quoniam ipsa Dei motio in ejus potestate est, sive (ut loquitur Cajetanus in 1. part. quaest. 19. art. 8.) Dei motione voluntas nostra libere utitur. Nam si se moveri sinat ab objecto proposito, Deus eam applicat, et movet ad actum elicendum; si non sinat, Deus eam non applicat, neque movet. Et ideo S. Thomas in 1. 2. quaest. 10. art. 4. ad 3. concludit, posita Dei motione, impossibile esse ut voluntas non moveatur; absolute autem non esse impossibile. Quia videlicet potest voluntas non se disponere per negativam determinationem ad motionem Dei recipiendam.

Simile est, quod supra diximus de concordia ultimi iudicii practici, et liberae electionis. Sicut enim posito ultimo iudicio practico fieri non potest, ut voluntas non eligat id, quod tunc ei a ratione proponitur; et tamen electio libera est, quoniam ipsum iudicium practicum est in potestate voluntatis, propter negativam praecedentem determinationem: sic etiam posito influxu Dei fieri non potest, ut voluntas non operetur; et tamen operatio libera est, quoniam influxus Dei non ponitur, nisi prius voluntas per negativam determinationem ad illum recipiendum se disponat.

Adversus hanc sententiam fieri possent duo postrema argumenta, quae facta sunt adversus sententiam capitis superioris, de providentia rerum omnium in particulari, et de modo, quo Deus cognoscit futura contingentia: sed ea jam proposita et explicata sunt.

Ex his igitur facile responderi potest ad objectionem Calvini propositam initio cap.

14. Erat autem haec obiectio; voluntas divina est prima causa omnium rerum, et jam ab aeternitate decrevit quid velit fieri: nulla igitur esse potest in homine libertas arbitrii; nam prima causa efficacissima est, et secundum Scripturas non potest ullus divinae resistere voluntati.

Respondeo: voluntas divina est quidem prima causa omnium rerum, et ab aeterno decrevit quid velit, aut non velit fieri; sed in particularibus, et maxime liberis actionibus, id non decrevit, nisi praecognita prius dispositione, et determinatione secundarum causarum, ut supra ostendimus. Quocirca licet nemo possit divinae resistere voluntati, manet tamen integra libertas humanae voluntati, quia Deus ipse, cui nemo resistere potest, hoc voluit, ut animus humanus liber esset, et actiones suas in potestate haberet, et ideo decrevit ei cooperari, vel eam applicare et movere, quotiescumque per negativam determinationem se ipsa diserneret.

Addebat Calvinus confirmationem ab experientia, quod in rebus minime perplexis saepe nobis consilium deficiat: et contra in rebus obscuris nonnumquam repente lux affulgeat: et similiter quod attinet ad affectum, saepe in rebus minime arduis animus flaccescat, in difficilibus autem erigatur. Quod argumentum esset, mentes nostras a Deo regi et gubernari.

Respondeo: verissimum est Dei providentia regi animos nostros, et interdum a Deo suppeditari expeditum consilium, et ingentem fiduciam in rebus arduis; et in rebus facilibus non suppeditari. Caeterum nihil id facit contra libertatem arbitrii, nam suppeditatio consilii, et inflammatio voluntatis, non determinat ex necessitate homines ad eligendum unum potius, quam alterum. Alioqui sapientes et eloquentes homines, qui saepe auditores suos ducunt, ac flectunt prout ipsi volunt, libero arbitrio illos privarent.

Sed est etiam causa naturalis ejus rei, quam tantopere Calvinus miratur. Naturale enim est, ut homines difficultate rei perspecta excitentur, et contra nitantur, facilia vero et tuta despiciant. Mirum autem non est si consilia suppetant, cum animus ad rem cogitandam vehementer intenditur, et si consilium non occurrat, cum res negligitur. Sic nimirum et ferrum cote acuitur, et per antiperistasin contraria ad contrariorum praesentiam vehementius roborantur.